



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

XLVII. De significandâ horâ Operis Dei. Horas nocturnas curet paritérque
diurnas Sollicitus Frater, nî velit Abba Pater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

27. MART. 27. JUL. 26. NOVEMB.

CAPUT XLVII.

De significandâ horâ Operis Dei.

Nuncianda hora Operis Dei a die no-
 Etūque sit sub curâ Abbatis *b*: Aut
 ipse nunciet *c*, aut tali sollicito Fratri in-
 jungat hanc curam, ut omnia horis com-
 petentibus compleantur. Psalmos au-
 tem vel Antiphonas post Abbatem ordi-
 ne suo, quibus jussum fuerit, imponant.
 Cantare autem & legere non præsumat,
 nisi qui potest ipsum officium implere,
 ut ædificentur audientes. Quod cum
 humilitate & gravitate, & tremore fiat,
 & *d* cui jusserit Abbas.

a) *Seu Officii Divini.*

b) *Tum propter dignitatem ac sanctitatem
 mysteriorum in eo contentorum; tum etiam,
 quia deficientibus adbuc horologiis id con-
 venientissimè dependebat à nutu Abbatis.
 Alii legunt, Nunciandæ horæ... sit cu-
 ra Abbati.*

c) *Quando scil. dandum sit signum; non ve-
 rò quasi ipse pulsare debeat. Ex Boërio.*

d) *Sub-*

d) *Subintellige, ab eo. Cetera patent ex antedictis.*

2.8 MART. 28. JUL. 27. NOVEMB.

CAPUT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

Otiositas inimica est animæ *a*. Et ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum; certis iterum horis in lectione Divinâ *b*. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora *c* ordinari; id est, [ut à Pascha usque ad Calendas *d* Octobris, manè *e* exeuntes à Primâ *f* usque ad horam pene quartam *g* laborent, quod necessarium fuerit. Ab horâ autem quartâ *h* usque ad horam quasi sextam *i* lectioni vacent *l*. Post sextam autem surgentes à mensâ *m*, pausent *n* in lectis suis cum omni silentio: aut fortè, qui voluerit legere, sic sibi legat, ut alium non inquietet. Et agatur Nona *o* temperiùs *p* mediante *q* octavâ horâ: & iterum, quod faciendum est, operentur usque ad Vesperum